



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. iv. Maius extremum demonstrationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

Conclusio affirmatiua. Dico tertio. Subiectum scientiæ, & demonstrationis, si sit aliquid creatum, debet esse aliquid commune, vel aliquid purè singulare secundum aliquam proprietatem communem: v.g. de Petro, vt Petrus est, non potest dari demonstratio, nec scientia: de Petro autem, vt homo est, potest dari scientia: vnde fit, vt de singularibus non detur scientia primò, & propriè; sed tantùm secundariò, & communiter.

Probatur. Ratio est, quia ens planè contingens, quod nullas habet proprietates necessarias, non potest sciri: sed singulare vt sic, est ens planè contingens, neque vllas habet proprietates necessarias, præter communes & essentielles: ergo singulare non potest sciri, nisi secundum proprietates communes, & essentielles.

Obiectio prima & responsio. Neque dicas primò, singularitatem esse aliquid scibile; hoc enim fateor: sed singularitas sumpta in communi non est aliquid purè singulare.

Secunda illius responsio. Neque dicas secundò, de Deo posse haberi scientiam, cum tamen sit ens singulare; hoc enim concedo: propterea in conclusione addidisti *sciri aliquid creatum*. Certum enim est, posse dari scientiam de Deo, cum sit ens necessarium, & habeat veras proprietates demonstrabiles per causam virtualem, vt dicitur inferius. Aduerte autem nos hinc semper loqui de scientia propriè dicta omnino immutabili. Nam si scientia significet notitiam certam, & claram, potest dari scientia de singularibus; quo pacto diximus propositiones de futuris esse determinatè veras, sed hoc nomen scientiæ latius sumitur.

Conclusio affirmatiua. Dico quartò. Subiectum scientiæ, & demonstrationis debet esse incorruptibile, & æternum, id est inuariabile secundum essentialia prædicata, non quantum ad existentiam realem actualem. Ita Aristoteles primo posteriorum, cap. septimo, & sexto Ethic. cap. tertio.

Probatur. Ratio est, quia si obiectum scientiæ non sit inuariabile, scientia non erit certa, & infallibilis, idèque in definitione scientiæ additur, illius obiectum non posse aliter se habere. Neque dicas, de rebus corruptibilibus dari scientiam; Physica enim est ferè tota de rebus corruptibilibus. Respondeo enim, dari scientiam de rebus, quæ sunt corruptibiles secundum existentiam actualem, sed incorruptibiles secundum veritatem prædicatorum essentialium; quia propositiones essentielles de illis semper sunt veræ. Huiusmodi est totum obiectum Physicæ.

SECTIO IV.

Maius extremum demonstrationis.

Vidimus quam res possit esse subiectum scientiæ, siue de quibus possit aliquid sciri: videndum superest quam res sciri possint de huiusmodi subiecto.

Conclusio prima. Dico primò. Prædicatum demonstrationis à priori perfectissimæ, quæ potissima dicitur, necessariò est prima passio subiecti, id est illa proprietas, quæ immediatè fluit ab essentia: v.g. vt de homine fiat demonstratio potissima, prædicatum illius demonstrationis debet esse, *discursum*, quod immediatè fluit ab essentia hominis; & ab eo fluit admiratiuum, ab admiratiuo risibile; atque ita si risibile, vel admiratiuum sint prædicata demonstrationis, poterunt illa quidem esse à priori, sed non potissima.

Probatur. Ratio est, quia illa dicitur demonstratio potissima, in qua prima passio demonstratur de subiecto per differentiam essentialem.

A Dico secundò. Prædicatum demonstrationis à priori, quæ non est potissima, potest esse quacunque passio manans ab essentia subiecti.

Probatur. Ratio est, quia possunt proprietates probari per essentiam rei tanquam per veram causam: ergo possunt demonstrari à priori.

Conclusio bipartita. Dico tertio. Prædicatum essentialiale metaphysicum (id est pars definitionis) potest demonstrari à priori per causam extrinsecam, non per causam intrinsecam, v.g. rationalitas potest à priori demonstrari de homine per causam finalem, & efficientem (quæ vocantur causæ extrinsecæ) non autem per causam materiale, vel formalem (quæ dicuntur causæ intrinsecæ.)

B Ratio primæ partis est, quia prædicatum essentialiale metaphysicum habet veram causam extrinsecam, propter quam necessariò conuenit subiecto. V.g. rationalitas habet causam finalem, scilicet beatitudinem, propter quam necessariò conuenit homini. Domus habet causam finalem, propter quam ex recto & parietibus debet construi; quæ causa finalis est propulsatio iniuriarum aëris: ergo prædicatum essentialiale potest demonstrari à priori de aliqua re, cui conuenit.

Ratio secundæ partis est, quia essentia rei est primum in re, id est, nihil habet se prius intrinsecum rei: ergo essentia rei non potest probari per causam intrinsecam de ipsa re.

C Neque dicas: Hæc demonstratio est verè à priori. *Omne rationale est sensitiuum: omnis homo est rationalis: ergo est sensitiuum.* In ea enim medium est differentia constitutiva subiecti: ergo prædicatum essentialiale potest probari per causam intrinsecam.

Respondeo illam demonstrationem esse à posteriori, quamuis medium sit differentia constitutiva subiecti; medium enim non est causa prædicati, sed aliquid eo posterius, cum medium sit gradus inferior, prædicatum autem sit gradus superior.

Dico quartò. Prædicatum aliquod essentialiale, saltem physicum, potest demonstrari per causam intrinsecam subiecto, de quo demonstratur.

Ratio. Ratio est, quia forma substantialis est essentialis composito physico: sed illa potest demonstrari per materiam, quæ est causa intrinseca compositi, v.g. si dicas: *Omne quod habet materiam, habet formam: cælum habet materiam: ergo habet formam. Omne quod habet corpus organicum, habet animam: equus habet corpus organicum: ergo habet animam.* Quæ demonstrationes sunt verè à priori: ergo prædicatum aliquod essentialiale physicum potest demonstrari per causam intrinsecam. Neque dicas, essentiam rei non posse demonstrari à priori, quia nihil est in re prius ipsa essentia; & clarè Aristoteles docet, non posse de aliqua re demonstrari à priori, quid est; hoc enim intelligendum est vel de tota essentia, vel de prædicato essentiali metaphysico, non autem de prædicato essentiali physico.

E Dico quintò. Tota definitio potest demonstrari per causam intrinsecam, non per causam intrinsecam.

Probatur. Ratio est, quia definitio conuenit rei per aliquam causam extrinsecam: ergo potest per eam demonstrari. Sic demonstrare possumus domum esse compositum artificiale ex parietibus & recto per finem ipsius domus. Quod autem demonstrari non possit per causam intrinsecam, ratio est, quia in ipsa definitione adæquatè sumpta continentur omnia, quæ sunt de essentia rei, alioqui esset diminuta: ergo si definitio demonstraretur per aliquid intrinsecum, demonstraretur per seipsam; & in hoc sensu dixit

Disp. V. Quæst. vnic. de Demonstratione. 81

dixit Philosophus, non posse à priori demonstrari quid est, quia peteretur principium.

Neque dicas. Existentia Dei propterea non potest demonstrari à priori vlllo modo, quia est de essentia Dei; imò est ipsa Dei definitio: ergo prædicatum essentiale, & definitio non possunt vlllo modo probari à priori.

Resp. Distinguo consequentiam, concedo antecedens; nullum prædicatum essentiale Deo potest probari à priori, concedo; essentiale creaturis, nego: quia existentia v. g. quæ Deo essentialis est, non potest probari à priori per causam intrinsecam, nihil enim est in re prius essentia; neque per causam extrinsecam, quia Deus non habet causam extrinsecam; ideoque nullo modo probari potest à priori existentia Dei, vel vllum eius prædicatum essentiale. At verò definitio, & essentia rei create habet causam extrinsecam, per quam etiam probari potest.

De prædicato demonstrationis à posteriori nihil opus est dicere, cum constet illud esse vel causam mediæ, vel aliquid aliud necessariò connexum aliquo modo.

SECTIO V.

De medio demonstrationis, & scientiæ.

Demonstrationis extrema.

Affertio affirmans.

Necessarium quid sit.

Ratio.

Instantia.

Si satisfiat.

EXtrema demonstrationis sunt subiectum, & prædicatum, quæ hæcenus exposuimus. Cum autem non sint membra demonstrationis, nisi quatenus per medium aliquod cognoscuntur, operæ pretium est inquirere, quale medium ad veram scientiam requiratur. Primum quidem *in genere*: secundò ad demonstrationem *propter quid*: tertio ad demonstrationem *quia*.

Dico primò, medium cuiuscunque demonstrationis debet esse necessarium, id est necessariò coniunctum cum prædicato & subiecto conclusionis.

Obserua, *necessarium* illud dici, quod implicat contradictionem aliter se habere: medium ergo illud dicitur necessarium, quod implicabit contradictionem non esse coniunctum cum maiori, & minori extremo. Propositio illa est necessaria, cuius prædicatum ita vnitur subiecto, vt implicet non vniri: hæc necessitas vocari etiam solet *infallibilitas*, & *certitudo obiectiua*; scilicet ipsa res propterea non potest se aliter habere. De formali certitudine infra dicam.

Ratio conclusionis est, quia medium demonstrationis debet esse tale, vt ex euidenti, & necessaria connexionem sui cum extremis, certò & euidenter inferat conjunctionem eorundem in conclusionem: sed non potest inferre necessariam illam connexionem, nisi sit necessarium: ergo medium cuiuscunque demonstrationis debet esse necessarium.

Neque dicas: Hæc est vera demonstratio: *Quætiescunque inter Solem & Lunam interponitur terra, fit eclipsis: sed quando Sol, & Luna deueniunt ad ea puncta, quæ dicuntur caput, & cauda draconis, terra interponitur inter verumque: ergo tunc fit eclipsis.* Et tamen medium huius demonstrationis non est necessarium: ergo medium demonstrationis non debet esse necessarium.

Respondeo, illam esse demonstrationem non absolutè, sed ex suppositione statûs rerum, quo supposito medium illud est necessaria causa eclipsidis; medium ergo est necessarium ex suppositione, sicut conclusio est demonstratiua ex suppositione. Quem autem gradum necessitatis exigit habere medium,

A dicitur *sectione sexta* commodiùs, cum totam necessitatem præmissarum exponemus.

Dico secundò, In omni demonstratione medium debet esse causa cognoscendi prædicatum conclusionis. Causa alia dicitur *cognoscens*, alia *essendi*. Causa cognoscendi illa est, quæ ducit nos in cognitionem rei ignotæ; v. g. gemitus est causa doloris, non essendi, sed cognoscendi; ducit enim nos in cognitionem doloris, cuius est signum. Causa verò essendi dicitur illa, quæ dat esse ipsi rei, vt ignis est causa caloris, & dolor causa gemituum. Quo posito certum est, medium esse causam cognoscendi in qualibet demonstratione, quia est ratio deducens intellectum in cognitionem conclusionis ignotæ; quod caret difficultate. Venio autem ad demonstrationem *propter quid*, de cuius medio multò grauior est controuersia.

Dico tertio. Medium demonstrationis *propter quid*, debet esse causa essendi prædicati conclusionis; sufficit autem vt sit causa virtualis.

Obserua, causas alias esse actuales, alias virtuales. Causa *actualis* dicitur, quæ verè producit effectum à se distinctum, vt Sol actualis est causa luminis per aerem producti. Causa *virtualis* dicitur ea, quæ non producit quidem id, cuius dicitur causa, nec ab eo distinguitur; si tamen illud haberet causam aliquam, non aliam haberet quàm illam: v. g. immutabilitas Dei dicitur causa virtualis aternitatis, quia non distinguitur quidem ab illa, nec eam vlllo modo producit; si tamen aternitas haberet aliquam causam, non aliam haberet, quàm immutabilitatem, ideoque immutabilitas infert aternitatem. Breuius etiam causa virtualis dici posset illa, quæ infert aliam, à qua tamen non distinguitur realiter. Hoc posito,

Ratio, cur medium demonstrationis à priori sit necessariò causa essendi, est quia demonstratio *propter quid*, differt à demonstratione à posteriori: sed in demonstratione à posteriori medium est causa cognoscendi; ergo in demonstratione à priori medium est causa non solum cognoscendi, sed etiam essendi.

Ratio, cur sufficiat causa virtualis, est quia illa est demonstratio à priori, quæ ostendit *propter quid* res sit necessariò: sed vbi causa virtualis est medium, ostenditur *propter quid* res sit necessariò; affertur enim aliquid, quo posito impossibile est rem non esse: ergo est demonstratio tunc à priori, quando medium causa est virtualis.

Confirmatur, quia Metaphysica, & Theologia naturalis est vera scientia: sed non procedit nisi per causas virtuales: ergo sufficiunt cause virtuales.

Postremò hæc demonstratio: *Omne immutabile est æternum: Deus est immutabilis: ergo est æternus*; non est syllogismus tantum probabilis, cum concludat necessariò; non est sophisticus: ergo est demonstratiuus.

Dico quartò. Causa remota minus latè patens potest esse medium demonstrationis *propter quid*; causa verò remota latius patens non potest esse medium demonstrationis nisi à posteriori.

Obserua primò, causam proximam illam dici, *Inter quam & effectum non intercedit alia causa*, vt calor est causa caloris alterius: causam remotam illam dici, *Inter quam & effectum intercedit alia causa*.

Obserua secundò, causam remotam aliam esse adequatam, aliam inadquatam. Adequata causa illa est, quæ conuertitur cum effectum, vt rationalitas est causa adequata risibilitatis; nihil enim est risibile, quod non sit rationale: nihil rationale, quod non sit risibile.

Affertio 2. affirmans.

Affertio 1.

Cause actualis definitio. Cause virtualis definitio.

Ratio prima pro medio demonstrationis à priori.

Causa virtualis sufficit.

Conclusio 4. bipartita.

Causa proxima & remota definitio.

Causa remota duplex accessio.

LIBRARIUS